

ret. Quod cum egregie præsstitisset, gratiæ Principibus per literas, perque Butenum a Senatu actæ: adjectæ ad pacem ac tranquillitatem publicam, in qua retinenda ex veteri instituto semper Respublica desudaverat, adhortationes.

Henricus vero Galliae Rex, magna semper animo agitare assuetus, cum foederatis Principibus ad Menapios obtinendos opem ferre statuisset; atque inde ingens bellum exoriturum prospiceret; sibi Carolum Emanuelem, Allobrogum Ducem, adungere statuit; illius virtute ac militari scientia, regionis quam obtinet, situ haud parum suis rebus firmamenti ac roboris allaturum, ratus. Allobrox vero non difficulter Henrico accessurus videbatur; tum quod in Hispanos parum propenso animo se esse significabat, tum quod ingentium rerum spe aleretur. Constat enim, majoris natu Regis filiae nuptias Carolum pro Principe filio appetiisse, deque affinitate jungenda cum Henrico egisse. Sed antequam quidquam certi consilii caperet, explorandam prius Hispanorum mentem arbitrabatur; Verucæque comite in Hispaniam misso, cum postulatis minime pollicita respondere comperisset, arctius cum Gallo tractare coepit. Rex Bolæum Augustam Taurinorum misit, qui, multis propositis præmiis, ad se Ducem trahere niteretur. Quapropter exciti Hispani, ne in Gallorum sinum præceps iret, summo studio contendere coeperunt. Caroli animus in varias partes huc atque illuc distractus nutare, nil certi definire: hinc Hispanorum amplissimis præmiis, summis honoribus, qui filiis promittebantur, allici; inde regio connubio proferendorum imperii finium spe rapi: ut aliquando inter suos præconsultores eo præsentē acerrime in utramque partem disceptaretur; dum alii Gallo adhærendum suaderent, inter quos Lolinius ac Jacobus præcipui erant; contra alii Hispani amicitiam præferendam censerent, cujus sententiæ principes Coronarius Purpuratus, ac Verucæ comes erant; qui sane ea rationum vi, ea dicendi copia in Caroli animum invasisse ferebatur, ut de amplectenda Hispanorum societate decerneret. Itaque cuncta ad iter in Hispaniam maturandum comparantur, quo Philibertum filium, Philippo obnixē petente, mit-

Henricus
Rex Allo-
brogem sibi
adungere
nirur.
Allobregis
Ducis con-
silia.

Allobrogum
præconsul-
torum di-
versa sen-
tentia.